

Liber de Regno Siciliae

Hugo Falcandus

Rem in presenti me scripturum propono que sui ipsius atrocitate satis habundeque sufficeret vel omnino fidem excludere vel suspectam reddere veritatem, nisi quod in Sicilia nichil miraculi est ea monstra scelerum perpetrari, que potius tragedorum sint deflenda boatibus quam historice veritatis ordine contexenda. Non enim alibi rotam fortuna torquet celerius aut maiori mortalium ludit discrimine. Itaque loci ipsius inhumanitas eorum que dicturus sum fidem faciet, eritque opere pretium tam atroces quam repentinas rerum alterationes memorie tradere posterorum, ut qui fortune funibus alligati suam ex rerum affluentia gloriam metiuntur, aliorum casu moniti, beatos se desinant predicare, ne totiens miseros rursus se clamitent quotiens aut a dignitatis gradu deciderint aut opimi acervi quomodolibet fuerint imminuti. Ad id quoque nichilominus operam sum daturus ut pauci, quorum inter tot ac tanta pessimorum flagitia memorabilis fides enituit, meritis nunquam possint laudibus defraudari perpetuisque in evum successibus virtutis gloria propagetur. Que sicut preclaris ab initio factis virens, ut ita dixerim, enitescit, sic in p[osteru]m taciturnitate consenescens elabitur. Ita fit ut gloria quam ingenti quisque labore, summa industria multisque periculis sibi ipse peperit, in brevi favillatim decidens evanescat. Interest ergo multorum si qua fortiter acta sunt, ea posterorum cognitioni transmittere. Hinc enim accidit non solum viros fortes meritum laboris fructum percipere, verum totius quoque posteritatis commodo provideri, presertim cum ad virtutem plerumque liberi patrum provocentur exemplo patrieque probitatis, velut quedam in filios transfusa scintilla, licet in quibusdam sopita sit et quasi premortua, facile tamen hereditarie virtutis memoria convalescat. Si qui vero suoapte ingenio ac natura perpetuandi nominis amorem conceperint ipsa tamen patrum recordatio eorum foveat desiderium ac proposito robur adiiciat ad maturandum id quod speraverint, eos utique faciens promptiores. Hinc nimirum antiquitus Romani patrum domi conservabant ymagines ut antecessorum eis acta semper occurrerent puderetque degenerem sequi lasciviam ac turpi languere desidia et amplectende virtutis quasi quamdam necessitatem haberent pre oculis. Nec igitur inertis situ patiar eorum oblitterari memoriam que non sine multorum periclitatione nuper in regno gesta Sicilie, partim ipse vidi, partim eorum [qui in]terfuerant veraci relatione cognovi. non tamen id ago ut omnia bellorum discrimina militumque congressus aut quid in singulis urbibus oppidisque gestum fuerit sigillatim expediam; satis fecisse videbor proposito, si qui laude digni fuerint, eos non taceam, si maiora rerum momenta breviter ac succinte transcurram, in hiis maxime que circa curiam gesta sunt occupandus.

Primum igitur satis constat quod cum Rogerius comes Sicilie, frater Roberti Guiscardi ducis Apulie, rebus excessisset humanis, Rogerius eius filius totam primum Siciliam ac partem Calabrie iure successionis optinuit; postmodum vero consanguinei sui Wilelmi ducis Apulie morte cognita, transiens in Apuliam postquam, universis civitatibus ac principibus qui ei resistendum putaverant expugnatis, ad suum cuncta redegit imperium, tandem ducatum suscepit Apulie minusque ratus ydoneum tantam ac tam late diffusam potentiam in dignitate nominis coartari, regem se maluit appellari quam ducem, exindeque Siciliam regnum esse constituit. Placet ante, nec a proposito quidem dissidet, de moribus eius pauca summatim perstringere, cum satis incivile sit tanti viri mentione habita, virtutem eius

silentio preterire.

Inter alias ergo nature dotes, quibus ingentis spiritus virum ipsa ditaverat, promptissimus erat ingenio nec nunquam adeo sibi diffidens ut de qualibet re consultus vel modicam responsioni moram innecteret; quotiens tamen ad maiorum rerum examinationem ventum erat, contracta curia non pudebat eum singulorum prius opiniones audire ut ex eis potiore eligeret. Si quid autem ei super eodem negotio subtilius aut examinatius occurrebat, suam ultimus proferebat sententiam, ratione statim subiuncta cur hoc ei potissimum videretur. Cumque vigilantissimus viri animus altiora semper appetens, nullum inertie segnive otio locum relinqueret, nichil tamen inconsulte aut ex precipiti agere instituerat, ingentisque animi motus discretio temperabat adhibita, ut in consultissimi regis operibus nulla prorsus levitas appareret, nec erat facile cognitu utrumne consultius loqueretur an ageret. Ingens illi studium erat et presentia caute disponere et ex presentibus futura sollicite premetiri; idque curabat ut non magis viribus quam prudentia et hostes contereret et regnum suum productis finibus ampliaret. Tripolim namque Barbarie, Affricam, Faxum, Capsiam aliasque plurimas barbarorum civitates multis sibi laboribus ac periculis subiugavit. Aliorum quoque regum ac gentium consuetudines diligentissime fecit inquiri, ut quod in eis pulcherrimum aut utile videbatur sibi transumeret. Quoscumque viros aut consiliis utiles aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutem beneficiis invitabat. Transalpinos maxime, cum ab Normannis originem duceret sciretque Francorum gentem belli gloria ceteris omnibus anteferri, plurimum diligendos elegerat et propensius honorandos. Postremo sic iustitie rigorem ut novo regno pernecessarium studuit exercere, sic pacis ac belli vicissitudines alternare, ut nichil quod virtutem deceret omittens, neminem regum aut principum temporibus suis parem habuerit. Porro quod quidam pleraque eius opera tyrannidi dant eumque vocant inhumanum eo quod multis penas graviores et legibus incognitas irrogaverit, ego sic existimo virum utique prudentem et in omnibus circumspectum in novitate regni ex industria sic egisse, ut neque flagitiosi quilibet de scelerum sibi possent impunitate blandiri, neque benemeritos nimia severitas absterreret, quibus ita mitem se prebuit, ne tamen ex nimia mansuetudine locus superesset contemptui. Ac si forte in quosdam durius animadvertisse visus est, quadam ad id necessitate compulsus intelligo. Nec enim aliter rebellis populi ferocitas conteri aut proditorum poterat audacia coerceri. Is, ubi post multos labores ac pericula pacem regno quoad viveret peperit inconcussam, ingentes etiam thesauros ad regni tuitionem posteritati consulens preparavit ac Panormi reposuit. Exinde iam otio quietique deditus, fausta que se prole felicem existimans, filiis suis Rogerio duci Apulie Amphulsoque Capue principi, in quibus verissima paterne virtutis reddebatur effigies, regni sollicitudinem participandam crediderat. Qui postea, non sine dolore patris incredibili totiusque regni luctu maximo, fati debitum agnovere, superstite Willelmo Tarenti principe, quem vix pater eodem dignum principatu censuerat. Huic igitur, quando iam alius nullus supererat, regium diadema pater imposuit regnique fecit participem. Nec multo post ipse tum immensis attritus laboribus, tum ultra quam bona corporis exigeret valetudo rebus assuetus veneriis, immatura senectute consumptus, cessit in fata. Cui succedens Willelmus eius filius, quem adhuc vivens regem fecerat, palatium ac thesauros optinuit regnique curam suscepit. Eo tempore regnum Sicilie strenuis et

preclaris viris habundans, cum terra marique plurimum posset, vicinis circumquaque gentibus terrorem incusserat summaque pace ac tranquillitate maxima fruebatur.

Verum, brevi temporis interiecto spatio, sic tranquillitas omnis elapsa repente disparuit, ut facile quidem ex hoc intelligas regnorum fortunam ac statum virtuti parere regnantium, tantumque regni cuiuslibet gloriam ampliari posse non dubites, quantum in principe virtutis esse cognoveris. Willelmus enim rex, cum patrie solum potestatis, non etiam virtutis heres existerit, in tantam est primum efferatus amentiam ut optimi patris acta contempneret, suaque industria curie statum in melius reformatum, pessum iri permetteret, unde et quos familiares pater habuerat, eos partim condemnavit exilio, partim carcerum deputavit angustiis. Maionem quoque barensensem, humili ortum genere, qui cum primum in curia notarius extitisset, gradatim ad cancellariatus pervenerat dignitatem, magnum admiratum instituit. Monstrum utique quo nulla pestis immanior, nulla ad regni perniciem ac subversionem poterat efficacior inveniri. Nam ingenium illi promptum erat ad omnia; facundia non dispar ingenio; simulandi ac dissimulandi que vellet summa facilitas; preceps in libidinem animus, nobilium maxime matronarum ac virginum concubitus expetebat, et quas honestius viventes audierat, earum vehementius pudicitiam attemptabat; dominandi quoque semel accensus desiderio, multaolvebat in animo, multis mentem fatigabat consiliis et continuis scelerum stimulis agebatur, sed estuantis animi tempestatem vultus serenitate celabat.

Huic igitur maxima collata dignitate totiusque regni cura et administratione commissa, in brevi sic actum est ut rex plenam verbis eius fidem adhibens, nichil alii cuiquam credere, nichil prorsus ab alio vellet audire. Ceteros omnes excludens, cum rege singulis diebus solus habebat colloquium, solus regni tractabat negotia, regisque animum quocumque libuerat inclinabat, tum falsa pro veris ingerens, tum adulationibus illius temeritatem demulcens. Subit inde spes animum effectui mancipandi quod preconceperat, visaque temporis adesse oportunitas ut maturet consilium et, quem regnandi libido precipitem agit, moram omnem dampnosam existimat. Nulla interim animo pax datur, nulla tranquillitas; omnia circuit, omnia premetitur, omnia diligenter explorat, quo consilio, quibus artibus regnum optineat. Multaque diu precogitans, intelligit viros nobilissimos, quibus adhuc regnum florebat Sicilie, suum impedire propositum; pre ceteris autem ei metum incutiunt Robertus comes Lorotelli regis consobrinus, Symon comes Policastrensis, Ebrardus comes Squillacensis, quorum illi virtus haud dubia erat, sciebatque fidem eorum nulla fraude, nullis unquam premiis corrumpendam; nec, si superessent incolumes, sperabat rem posse procedere. Visum ergo primum aliquid ad eorum machinari perniciem, in eoque sceleris sui primitias prelibare, placuit etiam, et ad id totis viribus nitebatur, ut Hugonem archiepiscopum, qui tunc Panormitane preerat ecclesie, socium ac participem eius haberet consilii, cuius fretus auxilio, ad id quod speraverat maturius perveniret. Sciebat enim illum prudentem, providum summeque virum esse industrie et ad quaslibet machinationes aptissimum; ceterum, elati quidem erat animi, glorie cupidus, libidinique deserviens. Huius primum admiratus pedetemptim pertemptat animum, dehinc confidentius mentem aperit, propositi partem exponit, regnandi tamen dissimulat voluntatem, nec difficile persuadet ut amoto rege inutili,

ipsi tutele munus subeant, regnum pueris conservantes incolume dum pubertatis annos impleverint. In hoc ambo consentiunt ut regem deponant; cetera Maio reticet, ne facti socium atrocitate deterreat, sperans, si tutor possit fieri puerorum, nullius se de cetero ad optinendum regnum indigere consilio. Dictum est preterea quod hii, iuxta consuetudinem Siculorum, fraterne fedus societatis contraxerint seseque invicem iureiurando astrinxerint ut alter alterum modis omnibus promoveret, et tam in prosperis quam in adversis unius essent animi, unius voluntatis atque consilii; quisquis alterum lederet, amborum incurreret offensam. Hac inita societate, prefatus archiepiscopus, instinctu et consilio Maionis, in familiaritatem regis admittitur, ut quicquid admiratus regi suggereret, socii testimonio confirmaret.

I. De transitu regis Salernum.

Dum hec inter eos Panormi versantur consilia, rex Farum transire disposuit, ac primo Messanam, dehinc, paucis post diebus, Salernum proficiscitur. Cumque ex diversis Apulie et Terre Laboris partibus ad videndum regem proceres multi concurrerent, Robertus comes Lorotelli, eadem ratione persuasus, Salernum iter instituit. Cuius adventu precognito, sic erga comitem Maionis astutia regis animum immutavit, ut neque loquendi cum rege copiam impetraret, eoque non viso, tristis iratusque discederet. Ibi rex aliquanti temporis intervallo consumpto, paucisque nec dignis memoria gestis negotiis, Panormum rediens deinceps ac si humanos horreret aspectus, inaccessibilem se prebuit, nisi quod admirato singulis diebus, archiepiscopo plerumque sui copiam faciebat, audiens ab eis regni sui negotia non qualia erant, sed qualia ipsi proposito suo conformabant. Sub id temporis Ascotinus cancellarius et comes Symon cum magno exercitu in Apulia erant ut Alemannorum imperatori, cuius adventus fama predixerat, obviarent, simul et nequid ibi turbinis accederet providentes; omnia enim iam timoris ac suspicionis plena erant, nec satis liquebat qui regis quive admirati essent: ita in incerto ambiguoque res erat. Nam admiratus per totum regnum propositi sui multos iam habebat participes et fautores eiusque nomen haud aliter quam regis ipsius ab omnibus timebatur.

II. De comite Lorotelli.

Eoque ipso spe subnixa, regnandi cupiditas acriores viro stimulos ingerebat. Scribit itaque cancellario uti Robertum comitem Lorotelli tanquam ad audiendum regis imperium Capuam evocet idque modis omnibus agat ut eundem captum, sub fida custodia Panormum transmittat. Ut enim rex idem vellet multis persuasionibus effecerat, asserens quod ipse comes ad regni subreptionem plurimum aspiraret, ipsumque regnum sibi iure diceret pertinere eo quod Rogerius rex, avunculus eius, in quodam testamento suo precepisse diceretur, ut si quidem Willelmus eius filius inutilis aut parum idoneus videretur, Robertum comitem, cuius virtus haud dubia erat, regno preficerent. Comes ergo acceptis litteris cancellarii cognitoque per amicos quid fraudis intenderet, animadvertit eiusmodi sibi expedire consilium, ut neque regis imperio contumaciter obloqui videretur et propositos sibi laqueos evitaret. Itaque, cum quingentis fere militibus optime armis instructis Capuam veniens, extra urbem in plano figit tentoria. Cancellarius, ubi hunc venisse comperit, illico denunciat ei ut

omissis militibus suis ipse cum paucis in urbem veniat, velle se cum eo secreta loqui et regis aperire mandatum. Ad id comes urbem se non ingressurum asserit; siquidem cancellarius exeat, paratum audire quidquid ex parte regia sibi preceperit. At ille contra spem suam comitem dolos intelligens presensisse, egressus est ad eum, dicens voluntatem regis hanc esse, ut universos milites suos, prout feudum suum exigebat, Boamundo comiti assignaret. Quod quidem molestissime comes tulit, responditque indignum et contra consuetudinem esse ut milites sui ducem alium sortirentur, ac si ipse proditor aut bello videretur inutilis. Cumque instaret cancellarius, persuadens ut regie satisfaceret voluntati, adiecit comes aut non sani capitis aut proditoris istud esse mandatum: ideoque se nullatenus id facturum. Sic inani spe delusus cancellarius, Capuam rediit, comes in Aprutium iter convertit. Nec multo post in exercitu inter milites cancellarii et comitis Symonis orta seditio, eousque processit ut in dominos quoque militum iniuria redundaret multaque hinc inde verba mineque discurrerent. Quod utrum industria cancellarii factum sit, casuve contigerit parum constat. Verisimile tamen est Maionis intercessisse mandatum, ipsumque cancellarium in optimo comite non videntem quid crimini daret, in excitanda lite id habuisse consilii, ut inde maledicendi causam eliceret. Nam et super hoc litteris curie destinatis rem non tam vere quam hostiliter expressit et maiori comitem quam res exigeret criminatione pulsavit, dicens eum in exercitu crebras suscitare discordias; milites suos ad seditionem hortari; comitem etiam Robertum eius indicio propositas insidias effugisse; nuncios inter eos crebro discurrere, nescio quid eum fovere propositi, satis periculose deinceps ei creditum iri exercitum. Hec et huiusmodi plurima regi magnus admiratus suggerens, a cancellario sibi transmissa subiunxit fidem plenissimam eisdem litteris adhibendam. Nam se quoque dudum audisse quod Robertus comes cum plerisque aliis contra regem conspiraverat, comitemque Symonem eius ipsius factionis esse participem, quod claris nunc apparebat indiciis. Inde maturandum censet ut emergentis mali periculum evitetur; sero carnem putridam resecari, cum vicinas partes corruperit. Ideo facilius regi persuasum, quod propinquos omnes consanguineosque habebat suspectos. Comes igitur literis regiis citatur ad curiam, aliusque in eius locum comestabulus subrogatur. Sed eidem venienti neque suam purgare licuit innocentiam, nec obiectis ordine iudiciario respondere. Statim enim, non sine multa Maionis invidia, captus et in carcerem est retrusus.

III. De credulitate mortis regis

His eo modo gestis, ita rex deinde suam omnibus absentavit presentiam ut per multum temporis spatium, excepto Maione admirato et Hugone archiepiscopo, nulli penitus appareret. Que res argumento fuit ut a plerisque mortuus putaretur. Erant qui venenum ei ab admirato dicerent propinatum, nec erat difficile creditu, cum id eum machinari dudum audissent. Multi quoque, cum ex diversis Apulie partibus venissent ad curiam, videndique regem prout consueverant eis copia negaretur, certissimos de morte eius rumores per totam Apuliam detulerunt, nichil hesitandum super hoc quod fama predixerat asserentes. Tunc Apulorum inconstantissima gens, libertatem adipisci frustra desiderans, quam nec adeptam quidem retinere sufficeret, ut que nec bello multum valeat nec in pace possit esse tranquilla, capescit arma, societates contrahit, castellis muniendis operam dat. Alii, quia iam diuturne pacis pertesum erat,

sola raptantur inconstantia; alios prede spes trahit ad bellum; plerique ea ratione concitantur ad arma, quod regis mortem censeant vindicandam. Multi tamen admirati causam armis tuendam suscipiunt. Sic ubique re turbata tumultuque exorto, dubiis eventibus hinc inde sepe confligitur. Comes Lorotelli plerasque maritimas occupat civitates. Imperator etiam Grecorum a comite rogatus auxilium, speque ductus recuperandi Apuliam, nobilissimos ac prepotentes viros cum maxima pecunia mittit Brundusium. In Terra vero Laboris non minori turbine cuncta cerneret agitari, aliosque ab rege deficere, alios stare cum rege. Robertus Surrentinus a Capuanis suscipitur et hereditario sibi iure pertinentem occupat Capue principatum.

III. De Maione.

Hec ubi Panormi cognita sunt, inopinata res admirati paulisper animum conturbavit, non tamen usque adeo ut vultum quoque sufficeret immutare. Nam in maximis quoque periculis ex industria dignitatem oris integram conservabat, ne si quotiens timendum erat, vultus id fateretur indicio; hostibus quidem spem ingerens, suis nichilominus metum incuteret. Quod ergo ratus est optimum in tanta perturbatione consilium, eos qui nondum rebellaverant litteris regiis suisque crebrius exhortatur uti virtutis sue memores cum proditoribus audacter dimicent habitamque de se hactenus opinionem ratam faciant; meminerint virtuti premia laudesque proponi, e contra penas et perpetue notam infamie proditoribus irrogari. Ipse interim Panormi quoscumque potest sibi conciliat, propositum suum eis de morte regis aperit, censetque hoc maturius peragendum, timens ne si forte rex id eum sceleris machinari perpenderit, crimine sibi maiestatis obiecto, capitali supplicio deputetur. Erat tunc Panormi Gaufredus comes Montis Caveosi, vir utique summe liberalitatis, armis eximius admodumque consulti pectoris, sed mobilis erat ingenii, fidei vacillantis, novitates rerum semper exoptans. Huius opem admiratus plurimum sibi fore putans necessariam, ita commodissime sibi eum allici posse perspexit, si prius odium ei regis incutiat. Habebat autem ipse comes oppida quedam in Sicilia, Notum, Sclafanum, Calatanissetum, sed Notum ceteris specialius diligebat. Nam idem castellum tum virorum frequentia, tum natura loci munitissimum erat et defensionem locum prebebat aptissimum. Primum ergo regi Maio persuadet ut hanc sibi munitionem accipiat, dicens non sine periculo eam a comite possideri. Dehinc, ubi comitem ex amissione oppidi satis comperit indignatum, secreto eum ad se precipit accersiri. Iurat ultra quam credi facile sit hac de re se dolere, regique cum hoc preciperet plurimum restitisse, sed tantam hominis esse temeritatem, tantam insaniam ut neque cuiuspiam consilium iam admittat, nec ab eo quod semel dixerit qualibet possit persuasione deflecti. Quodque indignius est, Salomonem etiam parum scisse commemorans, ipse cum sit mortalium stolidissimus, sibi soli prudentiam, sibi virtutem ascribat. Preterea, tyrannum hunc verius quam regem nescio quid sceleris in animo gerere facile ex verbis eius posse conici, si diutius regnaverit, brevi futurum ut virorum nobilium paucos superesse contingat qui non aut suppliciis deputentur aut carceri. "Nec immerito", inquit, "deteriora nobis contingerent, nam siquidem viri et non feminis molliores essemus, si ratione utentes et non brutorum similes animantium, huius tante pestis exitio dudum querelas eiusmodi sopissemus. Sed forte ad interitum fata nos trahunt et imminentis mali necessitas cecitatem nobis inducit. Certe fatum hoc

temeritas nostra est, que iam ad extrema nos periculorum adduxit". Tunc comes quid hec sibi vellet oratio satis intelligens, subiungit in hac omnes opinione versari quod absque ipsius admirati consilio nichil omnino rex gereret, ideoque huius rei culpam penes eum esse qui regis insanias et tyrannidem publicare deberet, nec alienam in se criminationem transfundere, sed ad omnium vindictam singulos exhortari, facile ei omnes obsequi, si voluntatem eius cognoverint sese quoque ad primum eius imperium sanguinem regis haustum. Ad hec admiratus comitis laudare prudentiam virtutemque ad celum tollere ipsumque cepit amplecti, referens ei quod archiepiscopus aliique quamplures in id consenserint, ut, interfecto rege, ipsum admiratum ei substituant. Inde magis temptandi gratia quam ex animo, subiungit, indignum se esse qui tanto regno preesse debeat; sanius sibi videri consilium ut regis filius patri succedat. Sed et quo id animo dixisset comitem Gaufredum non latuit, responditque hoc se nunquam passurum. Nam de semine tyranni nichil nunquam nisi tyrannicum procreari, impioque patre genitos, paterne quoque futuros impietatis heredes. Hoc unum se laudare, hoc velle ut admirato regia dignitas conferatur, subinferente illo sic futurum siquidem ipsi placuerit, comes ei suum ad hoc spondet auxilium et ut mutantem adhuc animum certiolem efficiat, illi se iureiurando astringit. Exhinde iam admiratus perpetrando sceleri locum ac tempus querebat ydoneum, existimans comitem Gaufredum sibi per omnia fore subsidio.

V. De voluntate et mente comitis.

Comiti vero longe alia mens erat aliudqueolvebat in animo; iam enim plurimos Barensium qui tunc Panormi morabantur ipse sibi iurare fecerat, erantque cum eo Symon Sangrensis et Rogerius filius Richardi pluresque nobiles et factiosi milites per quelibet eum pericula secuturi, quibus indignum, turpe miserumque videbatur ut cuius pater oleum Bari vendere consueverat; sic enim dicebatur; eum regnare permicterent. Sed neque displicebat eis regem interfici ob tyrannidem quam in viros nobiles exercebat. Erat autem hoc eorum consilium ut quum mature regem admiratus occidisset, ipsi statim in eum tanquam interfecti regis ultores irruerent, ne sua diutius proditione gauderet regisque filium maiorem natu patri sustituerent heredem. Ita comes adversus dolos Maionis fraudulenter agere instituerat, plurimum interim ipsi blandiri, rogare ne rem tantam negligendo differret, paratos semper habere secum milites, prestolari de die in diem ut admiratus quod proposuerat adimpleret. Ubi segnius eum videt rem gerere tepidumque languere propositum, fidem suam illi suspectam esse sibique parum credi certis colligit argumentis. Post habito igitur de morte regis consilio, Maioni parat insidias et vel in presentia regis, si quidem aliter non possit, eum sibi destinat occidendum. Quod quadam die non secus ac providerat accidisset, nisi quod iam in palatium percussoribus introductis, subito nunciatum est in curia, de partibus Apulie galeas advenisse. Ea re tunc ab incepto milites absterrente, Maio fortune beneficio liberatus evasit; comes autem, videns id quod actum erat celari non posse; nam et multi milites cum armis viderant introductos; pro tempore consilium capit et cum admirato secretum habens colloquium, narrat ei ex ordine quid sibi acciderit et qualiter sit spe frustratus. Nam "hodie", inquit, "ad curiam optime venimus preparati, ultimumque vite tyrannus diem clausisset, nisi quod galea calipolitana, quam applicuisse audivimus, impedimento nobis fuit".

Admiratus autem frustra eum timuisse respondit, nam Calipolim totam ei iurasse et unius secum esse propositi. Eadem die suggestum est ei a pluribus amicorum quod comes Gaufridus cum armis curiam eum interfectorum intraverit. Quibus ille hec omnia scire se dixit; suo totum id actum consilio; regi timendum fuisse, non sibi.

VI. De manifestatione Maionis.

Interea iam incipiente turbari Sicilia, Bartholomeus de Garsiliato cum quibusdam aliis Buteriam occupat, locum utique munitissimum et adversus quoslibet obsidentium impetus prurupti montis beneficio facile resistantem. Ad quem plures alii confluentes, ceperunt ex agris finitimis predam agere, loca vicina populari, cum plerisque potentibus viris societatem contrahere. Ea res Maionem ad ultimum fere desperationis compulit, adeo quidem ut inceptum facinus necessario crederet differendum, nec aliter invalescentis mali posse dispendium evitari, nisi regi ipsi, tum adhuc ad debellandos hostes vires suppetunt, rem totam aperiat, alioquin totam Siciliam in brevi defecturam ad hostes. Quod ubi regi cognitum est, primum negligendo rem distulit, dicens non tanti viros esse momenti qui perseverare audeant ultro, ab occupata munitione nuperrime discessuros. Id enim regi consuetudinis erat, ut difficile palatio vellet exire, sed ubi necessitas eum compellebat egredi, quanta prius torpuerat ignavia, tanto deinceps impetu, non tam audacter quam indiscrete ac temere raptabatur, quantislibet se periculis obiecturus. Nec quid sibi, quid adverse parti virium esset attendebat, par an impar hostes adoriretur parum sollicitus. Mox ubi comperit eos qui erant Buterie ab incepto nolle desistere, sed acrius urgere propositum, comitem Ebrardum ad eos legatum mittit ut sciscitetur ab eis quo consilio, qua mente castellum suum occupaverint; quid se deinceps acturos existiment. At illi non aliter id se dicturos respondent, quam si comes eis iureiurando se obliget, ut quicquid ei dixerint, ipse regi seriatim exponat. Prestito deinde quod petierant a comite sacramento, dicunt se contra regem nichil agere aut egisse, sed eo duci consilio ut Maionis admirati et Hugonis archiepiscopi prodicionem detegant, impediantque propositum quos adversus regem certissime noverant conspirasse, ipsumque Maionem ad regnum totis viribus anelare. Ultro se Panormum ad regiones pedes venturos, si de proditoribus supplicium sumptum audierint. Cum igitur hec omnia comes Ebrardus, ut erat incorrupte vir fidei, non tam efficaciter quam audacter ad regis pertulisset notitiam, rex primum novitate rei attonitus mirari cepit; dehinc inhumanum ratus ut crederet eum sibi mortem moliri quem tanta sublimaverat dignitate, quicquid ei comes dixerat retulit admirato, subiungens numquam se de illo tale quippiam crediturum. Admiratus exinde comitem Ebrardum suspectum habens, atrox in eum odium exercebat, sed id prudenti dissimulabat consilio donec ultioni tempus congruum inveniret. Interim comes Gaufridus Buteriam transfugit, per aliquot castella sua militum relicto presidio. Tunc vero Panonni tumultus ingens exoritur, ubique civitatis timor et indignatio, tota plebs adversus Maionem fremit ac murmurat; comitem Symonem iniuste captum omnes unanimi de voto deposcunt. Admiratus autem, videns murmur invalescere, nec iam facile posse compesci, nisi plebis satisfiat desiderio, persuadet regi ut comes Symon extrahatur de carcere. Quo ad iussionem regis educto, ita subito status civitatis immutatus est, ut cum eo pax et tranquillitas urbi reddita videretur. Rex itaque, ut in tanto necessitatis articulo nullum

videt superesse locum ignavie, nec dilationis causam ydoneam, vix tandem instinctu Maionis educit exercitum, Buteriam obsidet, ubi nisi comitem Symonem secum duxisset, non parum fuerat temporis consumpturus. Cum igitur aliquandiu castellum totis viribus oppugnasset, oppidani vero nichilominus audacter ei resisterent et ad deditionem eos cogi fere iam impossibile videretur, demum hortatu et consilio comitis Symonis res est in transactionem deducta, comitique Gaufredo et sociis eius ab admirato, archiepiscopo ac plerisque comitibus in animam regis iuratum, quod eos rex incolumes, libere ac secure et absque impedimento extra regnum suum ire permetteret. Sic oppido recepto totaque iam quiescente Sicilia, paucis post diebus Messanam proficiscitur, in Apuliam transiturus.

VII. De transitu regis in Apuliam et pugna cum Grecis.

Eodem tempore cancellarium ad curiam venientem comes Symon, instigante Maione, multis pulsavit criminibus. Qui cum singulis audacter se diceret responsurum, suis ei allegationibus uti non licuit, nam captum subito dampnatumque carcer excepit, ubi etiam, post aliquot annos, diem vite clausit extremum. Rex itaque, Farum transiturus, comiti Gaufredo, qui parata iam navi ceterisque ad transfretandum necessariis Messane morabatur, transitum interdici precepit et ipsum usque ad reditum suum diligenter observari. Multiplicato dehinc exercitu, Brundisium venit, ubi cum Grecis conflicturus, ad pugnam iubet milites expediri. Greci vero, ubi comitis Roberti, cuius prestolabantur adventum, vident se defraudatos auxilio, quod unicum restabat consilium, fortunam eligunt experiri. Anceps in principio pugna fuit, inde Greci non valentes amplius hostiles impetus sustinere, fusi cesique sunt, magna pars eorum cum ducibus suis Panormum transvecti.

VIII. De excidio civitatis Barensis.

Ea rex potitus victoria, Barum traducit exercitum, ibique populum eiusdem urbis inermem obvium habet, ut sibi parcat orantem. At ille, castelli sui quod a Barensibus dirutum erat ruinas aspiciens, "iusto", inquit, "vobiscum agam iudicio, et quia domui mee parcere nolulistis, certe nec ego vestris sum domibus parciturus; vos autem omnes libere cum rebus vestris abire permictam". Dantur ergo eis duorum dierum inducie, ut interim exeuntes omnia sua secum asportent. Quod ubi factum est, muris primum equatis solo, totius insecutum est excidium civitatis. Ita prepotens Apulie civitas, fama celebris, opibus pollens, nobilissimis superba civibus, edificiorum structura mirabilis, iacet nunc in acervos lapidum transformata. Huius rei fama comitem Robertum aliosque qui rebelles extiterant valde perterritum, presertim cum viderent de totius Apulie civitatibus ad regem omnes confluere. Nec iam facile tantis erat viribus resistendum, omnemque spem venie crudelitas regis excluserat. Relictis ergo castellis, oppidis urbibusque quas possederant, multi regni terminos exierunt, plerique cum comite Roberto in terram Aprutii transfugerunt. Robertus Surrentinus Capue princeps, cum nichil sibi fuga tutius comperisset, per terram comitis Richardi de Aquila secure transiens, in transitu fluminis ab eodem capi iussus regique traditus est. Quem admiratus Panormi non multo post in vincula coniectum, oculis fecit privari. Eo facto, comes Richardus cum regem antea plurimum

offendisset, gratiam eius promeruit, sed nec infamie notam penitus evitavit. Nam a multis crimini datum accepi, quod idem dominum suum, summe nobilitatis ac mansuetudinis virum, cui sacramentum quoque fidelitatis prestiterat, turpiter prodidisset. Rex autem, Grecis devictis fugatoque comite Roberto, reliquos hostes suos persequens, cum omnes ante faciem eius disparerent, totius Apulie ac Terre Laboris tumultum compescuit; ac demum prospere gestis omnibus, Farum transiens, Panormum rediit.

VIII. De reditu regis in Siciliam.

Interea comes Gaufredus, cui Fari transitus interdictus fuerat, suadente Maione, privatus oculis carceri datur. Comes Symon, qui Policastri remanserat, ob idem accersitur ad curiam, ut quam primum venerit capiatur. Sed in ipso procinctu itineris felici morte preventus est. Preterea comes Wilelmus Alesinus, Boamundus Tarsensis, cum pluribus aliis, Panormi iam in vinculis tenebantur, inter quos erat et Robertus Bovensis, comitis Ebrardi, ut ferebatur, avunculus, vir quidem armis strenuus, sed parum habens fidei, quem Francorum rex, ob proditionem quam ibidem perpetraverat, ad tempus iusserat exulare. Filii quoque ducis Rogerii, Tancredus et Willelmus, nobilissima matre geniti, ad quam dux ipse consuetudinem habuerat, inter septa palatii servabantur inclusi. Nec dum tamen Maionis quiescit animus aut nefandum cessat propositum cum tot preclaris ac nobilibus viris carceres plenos aspiciat; quorum aliis oculos fecerat effodi, alios cedi fustibus, quosdam in teterrimis locis cum serpentibus habitare. Uxores quoque ac filias eorum e domibus suis abstractas, diversis cluserat in locis, aliasque sue deservire libidini, alias inopia cogente venalem passim formam compulerat exhibere. Hiis omnibus proditoris rabies expleri non potest, nichil actum putat quia comitem Ebrardum superesse videt incolumem. Sed neque satis scit quid tanto viro criminis possit intendere, cuius fides omnibus evidenter apparet. Iam tunc ergo omnia comitis facta dictaque subtiliter explorat, ut detrahendi causam inveniat. Cum ergo quadam die comes cum paucis venatum exisset, admiratus ilico regem adit nunciatque comitem Ebrardum absque licentia curie cum multitudine militum recessisse; rebellandi hoc esse satis evidens argumentum, eum, siquidem abire libere possit, multos eiusdem propositi socios habiturum, suadetque missis absque dilatione nunciis comitem ex itinere revocari. Comes autem regis mandatum audiens, omissa venatione, redit Panormum, subitoque vocatus ad curiam, ibidem retentus est et in vincula coniectus; cui primum effossis oculis, non multo post admiratus linguam quoque fecit abscidi. Iamque viris fortibus, quoscumque sibi timendos admiratus putaverat, aut captis aut in exilium compulsis, totius regni tumultus quieverat. Videns autem Maio superesse iam neminem qui sue possit vel audeat contradicere voluntati, ad perpetrandum quod necessitate cogente distulerat facinus rursus accingitur. Sed ita facillime sperat id posse fieri, si populi prius amorem sibi conciliet, si propinquis et affinibus suis maximas regni conferat dignitates, quorum adversus nobilitatis superbiam sese tueatur auxilio. Symonem ergo senescalcum, maritum sororis sue, toti Apulie ac Terre Laboris magistrum capitaneum preficiens, Stephanum quoque fratrem suum stolii constituit admiratum. Ipse interim indigentibus multa largiri, omnibus prebere se facilem, legatos undecumque venientes plurimum honorare in animum induxerat; strenuos bello

milites longobardos ac transmontanos indifferenter plurimis sibi largitionibus alliciens, clericos quoque magnis sepe promovebat honoribus, prout cuiusque dignitas exigebat. Ita modis omnibus sollicitus erat ut nichil omitteret, quod ad alliciendum plebis animos utile videretur. Dum hec in regis pernitiem premoliens, admiratus callide suum occultaret propositum, r[egnum aliquandiu visum est qu] ievisse, nisi quod comes Robertus terram Aprutii vicinasque partes Apulie crebris adeo fatigabat incursibus, ut in Apulia necessario teneretur exercitus, ubi variis est sepe pugnatum eventibus. Richardus de Mandra, comitis Roberti comestabulus, interim cum episcopo Tetino captus est et Panormum deductus.

X. De amissione Affrice.

Per idem tempus cum imperatore Grecorum fedus initum est paxque firmata, Greci Constantinopolim dimissi, qui post Brundisium bellum in vinculis tenebantur; iam itaque omnem rei difficultatem Maio superaverat; iam ad id pervenerat potestatis, ut non tam admirati quam regis videretur peditus dignitate; iam regis ipsius aperte predicabat insanias; iam stultitiam eius publice deridebat, et si quid tyrannicum aut inhumanum rex, eo suadente, preceperat, veluti innocenti cuippiam oculos erui, linguam abscidi, vel aliquid talium perpetrari, ipse sua postmodum auctoritate prohibebat id fieri, dicens non omnia que tyrannus inconsulte aut delirando iusserit, statim effectui mancipanda, alioquin innocentium vitam periclitari sepissime. Nam ad hoc nitebatur ut in regem plebis exasperaret animos et omnium ei conflaret invidiam. Eam plerique causam fuis[se existimant ut idem Affricam a Saracenis] capi permicteret. Cum enim in partes Hispanie misso stolio, Masmudorum rex potentissimus Affricam obsedisset, idque nunciatum esset in Sicilia, placuit ad auxilium Affrice stolium revocari, cui tunc preerat gaitus Petrus eunucus. Isque, sicut et omnes eunuchi palatii, nomine tantum habituque christianus erat, animo saracenus. Erant autem galee circiter .CLX. que cum ex Hispania redeuntes e stationibus Masmudorum possent iam conspici, ceperunt milites qui Affrice erant, resumptis animis, clamorem tollere, insultare hostibus et venientes galeas ostendere. Contra vero, Masmudorum rex inopinato galearum adventu perterritus, intra castra cogebat exercitum, qui tamen pre sui magnitudine regi vix poterat. At ubi iam terre stolium propinquabat, ingens in urbe cum letitia militum clamor exoritur et siquidem, ut arbitrabantur, stolium ex uno latere, ipsi, apertis portis, ex alio in hostes irruerent, ea die victus fususque barbarorum cessisset exercitus. Sed secus actum est. Nam gaitus Petrus magister stolii, totum id previdens, cum iam plerique vela deducerent, ultro, mirantibus cunctis, in fugam conversus, carbasa ventis exposuit. Cetera quoque galee fugientem ducem prout queque poterat sequebantur; barbari vero, quos proditoris dolus non latuit, sexaginta galeas armantes, quas ad terram metu stolii prius eduxerant, persecuti sunt ilico fugientes. Septem galee capte sunt a Masmudis; relique turpiter misereque re gesta in Siciliam pervenerunt. Ea res et barbarorum animos plurimum extulit et obsessis desperationem incussit. Nam et pauci quidem sed invicti bello milites erant et cibi premebantur inopia. Quicquid tamen in tanta rerum angustia virtus poterat, effecerunt. Nec enim solum tante multitudinis creberrimos impetus viriliter sustinebant, sed et singulis fere diebus egressi, barbarorum perturbabant exercitum, nonnulli post multam stragem hostium

revertentes. Rex itaque Masmudorum, consumptis omnibus que ad optinendam urbem sibi crediderat expedire, iam obsessorum militum audaciam considerabat attonitus eorumque virtutem et constantiam mirabatur, et nullis urbem iam sperabat posse viribus expugnari, ultroque nisi famis intolerantiam perfugarum inditio cognovisset, ab obsidione amoturus erat exercitum. Sed ubi contra consuetudinem humanam nec equis iam parci, nec a canibus aliisque immundis animalibus abstineri cognovit, cepit milites ad deditioem hortari, dicens frustra suam eos indigentiam occultare; que patiebantur sibi non esse incognita; e Sicilia nichil venturum auxilii, nam se litteras eunuchorum palatii nuperrime recepisse, quibus rei veritatem plene didicerat; denique, nichil spei reliquum esse ut evasuros se putent, sed eorum virtuti velle se parcere, et siquidem regis Sicilie tyrannidem metuentes secum morari maluerint, largissima eis quotquot fuerint stipendia se daturum. Sin autem in Siciliam redire prelegerint, datis que sufficiant navibus, liberum eis transitum permittendum. At illi, super hoc habentes consilium, paucorum dierum inducias petiere, ut missis in Siciliam legatis, postularent auxilium, quo non impetrato, tum demum conditioni starent propositae; nec idipsum eis negatum est. Sed cum eorum nuncii Panormum venientes, urbis sue periculum et famem exponerent, omnia iam se passos quecumque summa necessitas indixisset, peterentque frumentum saltem eo transmitti, nichil tamen multis persuasionibus effecerunt. Nam admiratus falso regi suggesserat frumentum Affrice, quod per totum annum sufficeret, se iubente, fuisse repositum; foris autem publice predicabat in ea regem esse sententia,] ut diceret si caperetur Affrica, nichil se dampni passurum, eamque civitatem plus oneri sibi esse quam honori; cum in stipendiis militum aliisque ad urbis tuitionem necessariis maximos quidem sumptus faceret, unde nichil unquam emolumenti speraret. Hoc autem ab admirato, sicut dictum est, eo fiebat animo ut insani capitis esse regem ostenderet, qui nobilissime civitatis amissione regnum suum mutilari iacturam non duceret, cum eidem posset facillime subveniri; nec animadverteret rei turpitudinem aut quod inde Sicilie periculum immineret. Igitur ubi Affrice cognitum est legatos elusos esse, cum iam nichil sperarent auxilii, sed neque fames ultra poterat sustineri, prehabite transactioni stari placuit; ac tunc demum Masmudis urbe tradita, acceptisque navibus, que ad transfretandum sufficerent, in Siciliam transierunt.

XI. De Maione.

At vero Maionis propositum amplius regi non poterat aut diutius occultari, nec erat dubium quin regnandi libidine traheretur. Nemo tamen tam impie machinationis index erat; nemo tam apertam proditioem audebat regi detegere; sciebant enim omnes id eum minime crediturum, memores quid inde co[m]iti Ebrardo aliisque quam plurimis contigisset. Preelegerant] ergo silere quam subire periculum attonitique rei exitum expectabant. Iamque totam fere Siciliam varii super hoc dissonique rumores impleverant, passimque vulgatum erat, admiratum diademata quedam aliaque regis insignia, que sibi preparaverat, multis familiaribus suis ostendisse, nec deerant qui reginam hec ei de palatio dicerent transmisisse. Nam et eius consensu totum hoc fieri eamque Maioni putabant inhonesti contractu federis obligatam. Plerisque falso videbatur id dici; alii quoque nichilominus asserebant notarium Matheum, Maionis familiarem, Alexandro pape, qui tunc Romane presidebat Ecclesie, multam pecuniam

detulisse idque consilio et ope Iohannis neapolitani, qui unus erat cardinalium, impetrasse, ut amoto rege Sicilie, admiratus in eius locum succederet, ad exemplum cuiusdam regis Francorum, cui deposito, eo quod inutilis videretur, Romanus pontifex Pipinum, Karoli patrem, substituit. Hec et huiusmodi plurima totus iam triviatim populus loquebatur. Quidam in ipso palatio regem gladio ferendum, multi claudendum in monasterio predicebant. Erant et qui in aliquam insularum crederent deportandum. Hec eadem in Apulia iam divulgata erant omniumque mentes adversus Maionem indignitas rei commoverat. Melfenses igitur, qui primis semper consueverant rumoribus excitari, decernunt in primis, ut nulli deinceps Maionis mandato pareant, nec in urbe sua quemlibet eorum recipiant, quos Apulie capitaneos idem prefecerat. Comites etiam aliique viri nobiles, quibus precipue Maionis erat suspecta potentia, consilio super hoc habito, sibi invicem iuravere, quod Maionis mortem totis viribus totoque posse perquirerent, neque parerent deinceps curie, aut ab ea societate discederent, nisi prius illum aut interfectum esse cognoscerent aut extra regnum fugisse; idemque iusiurandum proposuerant per totum regnum vel a spontaneis accipere, vel ab invitis nichilominus extorquere. Iamque multe civitates oppidaque quam plurima eorum se societati coniunxerant. Circuibant ergo totam Apuliam ac Terram Laboris cum ingenti militum multitudine, ut universos sibi iurare compellerent. Erant autem in ea societate: comes Ionathas, comes Richardus de Aquila, comes Rogerius Acerranus aliique comites ac potentes viri, cum quibus erat et comes Gillebertus consanguineus regine, cui rex nuper ex Hispania vocato Gravine dederat comitatum. Marius quoque Burrellus, vir eloquentissimus, Salerni habita oratione ad populum, satis efficaciter peroravit maximeque parti civium persuasit ut comites reciperent, in eumque modum quo et ipsi iuraverint, sacramentum eis prestarent.

XII. De comite Andrea.

Per idem tempus Andreas de Rupe Canina, qui tunc in Campanie partibus exulabat, videns tanto scismate regnum distrahi, congregatis militibus, Aquinum cepit, oppidoque Sancti Germani, quod Cassino monti subiacet, occupato, dehinc Aliphias usque pertransiit. Sed paulo post ab eisdem civibus qui eum sponte receperant circumventus, cum paucis militum suorum vix evasit, tutiusque potuerat urbes hostium expugnare, quam expugnatas deserere. Interim, dum in hunc modum Apulia turbaretur, adhuc Sicilia quiescebat, nec ullis agitabatur tumultibus; licet enim utraque gens infida, mobilis pronaque sit ad quodlibet facinus perpetrandum, Siculi tamen cautius dissimulando celant propositum et quos oderunt blandis adulationibus demulcent, ut improvisi ledant atrocius. Sed nec in Sicilia quemquam admiratus reliquerat, cui ad audendum animus superesset. Nam comes Silvester, hominum timidissimus, quamquam Apulorum consilium approbaret, quibus etiam sese modis omnibus sponderat futur[um auxilio, suam tamen nullis audebat] indiciis [detegere voluntatem. Comes etiam] Rogerius Creonensis, cuius filiam Maio virginitate privaverat, iniuriam suam patienter dissimulans, vindictam Apulis reservabat. Admiratus, ubi contra spem suam animadvertit comitum vires in immensum excrescere, primum Amalfiam, Surrentum, Neapolim, maritimas civitates, que nondum defecerant, dehinc ex altero mari Tarentum, Ydrontum, Brundusium,

Barolum literas ex parte regis transmisit, admonens ut nullis moverentur rumoribus, neque falsis comitum suggestionibus crederent, aut se proditorum turbe miscerent. Sed eo res devenerat, ut regis litteras nemo suscipere: dicebatur enim per manus proditoris eas fieri, neque regis in eisdem, sed Maionis exprimi voluntatem. Stephanum quoque fratrem suum, qui militibus in Apulia preerat; ut comitis Roberti crebros impetus sustineret, sepius admonens hortabatur, ut amplioribus stipendiis militum sibi mentes alliceret eosque tam muneribus quam promissis ad resistendum comitibus invitaret. Nam Symonem senescalcum in quoddam munitissimum oppidum se receptare comitum timor compulerat. Placuit etiam Mazariensem episcopum Melfiam mitti legatum, ut civium animos mitiga[ret] et eorum indignationem compesceret. At il]le, non solum ab incepto Melfenses revocare non studuit, verum etiam amplius eorum mentes exasperans, plura de prodicione Maionis et atrociora quam audissent, eis narravit. Sed et Calabria, iam ingruentibus Apulie procellis, quati ceperat, cuius antea fides difficillime consueverat vacillare. Ea res admirato plurimum terroris attulit, visumque est mature talem eo mitti oportere legatum, cuius facile persuasionibus fides habeatur a Calabris.

XIII. De Matheo Bonello et qualiter occidit Maionem.

Huic autem legationi neminem magis quam Matheum Bonellum putabat posse sufficere. Nam et genere nobilissimus integreque apud omnes opinionis erat, et eum plerique nobiles viri Calabriae propinquitatis linea contigebant. Sed et eum admiratus non aliter quam filium diligebat. Videns enim eundem, adhuc etate iuvenem, ut qui prima lanugine genas vestiret, summe nobilem, forma pulcherrimum, corporis prestantem viribus ultra quam id etatis exigeret, optimam terram in Sicilia possidentem, filiam suam adhuc parvulam illi desponderat. Idem vero militibus multa largiens omnibusque se prebens affabilem, et in equestribus ludis, que vocant hastiludia, nemini posthabendus, militum [sibi grati]am magnumque nomen pepererat. Ceterum inconstans erat animo, facilis a proposito resilire, quod persuasum esset, audax promittere, ubi ad rem ventum erat, tepidior. Is autem cuiusdam filie regis Rogerii spurie, que Hugonis comitis Mollisinii uxor fuerat, forma captus, desponsate sibi puellule, eo quod ignobilis esset, ceperat nuptias abhorrere. Sed et hoc molestissime ferebat, quod admiratus, re cognita, palatium eiusdem comitis diligentius custodiri preceperat, utriusque votum impediens. Cum igitur, legatione suscepta, Farum transisset et quibusdam potentibus viris Calabriae, qui ad loquendum ei convenerant, adventus sui causam exponeret, Maionis innocentiam modis omnibus asseverans, Rogerius de Marturano, qui tunc in Calabria magni nominis erat, omnium qui aderant vice respondit, satis superque se mirari quo consilio ad id temeritatis devolvi potuerit, ut nefandissimi proditoris mandatum exequens, contra omnium opinionem eum ostendere velit innoxium, adeoque causam admirati tuendam suscepit, ut eiusdem conspiracy non immerito particeps estimetur. "Nam alios", inquit, "Maionis deliramenta sectari eiusque negotiis ac sceleribus immisceri equiore tulerim animo, nec tanta dignum admiratione crediderim. Quosdam enim tenue patrimonium et rei familiaris angustia cogit honestatem negligere, dum suam quolibet pacto tolerabilem faciant egestatem. Alios obscuritas generis altum aliquid sperare non sinit, eoque miserie traducit ut

potentioribus adulando deserviant, summam beatitudinem estimantes si possint vel nobilium pedibus inherere eoque pacto quibuslibet se non vereantur obiectare periculis, nec ullius reatum sceleris pertimescant. Differunt item ab hiis, sed non dispari laborant insania, qui cum ignobiles sint nullaque genus virtute redimant, sublimia tamen sperare presumunt, potentium virorum patrocinia multis ementes periculis ut abiecti generis possint ignominiam diffiteri. Plerique nobiles criminosis actionibus bonam famam demeriti, fas et nefas equa lance trutinant, nichil se deinceps sperantes acturos, quo possint semel inflictam notam infamie propulsare. Nonnulli quoque de proditorum semine procreati, patrum eligunt sequi vestigia. Eiusmodi quidem homines haud indigne ferendum est Maionis parere mandatis eiusque limina frequentare. Te vero summe nobilitatis et integerrime fame iu[venem, amplissimis ditem patrimoniis, nulla permittit ratio lucris turpibus inhiare, pre] oculis habe qui te parentes genuerint, et omnem tibi delinquendi viam obstructam intelliges aspernandique sceleris necessitatem indictam. Certe, si neminem videres proditoris huius obviare sceleribus, tu saltem nobilitatis, quam idem atrocissime persequitur, vindex esse debueras. Nunc autem, cum omnes adversus eum unanimiter moveantur, tu solus eundem predicas innocentem? Cuius dum asseris innocentiam suspectum te facis, verendumque tibi ne fame dispendium ac lesionem incurras. Quis enim eo putandus nocentior; qui bonorum omnium sanguinem sitit, qui nemini nocet nisi quem innocentem cognoverit, qui demum ei fraudulenter querit regnum subripere, per quem in hanc eminentiam potestatis evasit? tu consilium hoc innocentiam vocas, tu propositum hoc approbas, tu regem occidi consenties, aut honore privari, cum ei sacramento sis fidelitatis astrictus, aut, eo deposito, notarium hunc regem fieri, dudum olei venditorem? at, eo regnante, secundus eris a rege, summis fulgebis honoribus, optio tibi dabitur quem velis comitatum eligere. Sic tibi iam, nisi fallor, de futura prosperitate blandiris. O perditissimi virum ingenii! Puta [iam regem depositum. Quid ergo? Maionem regnaturum exist]imas? Eadem cer[te die qua reg]num occupaverit cum omnibus hiis qui eius familiaritati adhererint, et si ferrum nusquam compareat, saltem lapidibus obruetur. Adde quod unus es in Sicilia cui virtutis aliquid imputetur; te solum omnes respiciunt; quicquid egeris, obscurum esse non potest. Elige virtutem malis an scelera publicari? Pudeat te quidem omnium expectationem deludere; pudeat inter prime iuventutis auspicia malarum artium rudimenta suscipere. Aspernare socerum, cuius affinitatis contagio tua sit nobilitas polluenda. Respue, si sapis, uxorem liberos tibi parituram degeneres prolemque generis biformitate patri dissimilem. Adquiesce tandem amicorum consiliis et ad eorum omnium vindictam accingere; teque pariter et id nobilitatis quod superest in libertatem vendica, nec patere truculentissimam hanc beluam in nostram perniciem diutius debacchari. Experiatur certe virtuti, licet innumeris eam persecutionibus oppressam attriverit, ad vindictam tamen scelerum audaciam et ultores gladios non deesse. Regis quidem ipsius incolumitas regnique salus ac libertas in manibus tuis est. Nam, ceteris omnibus [huius] tam preclari facinoris impotentia condemnatis, tante laudis cumulum fortune tibi benignitas reservavit. Nec ad id cuiuslibet procrastinationis dilatio necessaria est, aut temporis oportunitas expectanda. Adeo enim suis te fraudibus ac dolis circumventum existimat, ut neminem alium putet iam familiarius admictendum. Sive igitur eidem armatus sive inermis, solus an militum multitudine stipatus occurras, nichil ex hoc ei timoris, nichil suspicionis innascitur.

Unde et eum secure potes ubicumque libuerit obtruncare. Quo semel occiso, nichil tibi verendum est ne quempiam ad vindictam sui superstitem derelinquat. Age ergo, iuuenis; enitere ut gradum hunc felicitatis attingas, quo te virtus vocat sequaris intrepidus, nec poscenti fortune tuum deneges obsequium. Quod si te facturum non dubia nobis pactione sponderis, preter eam quam inde consequeris immortalem gloriam, non deerit etiam mutua grataque meriti compensatio. Nam id modis omnibus perquiremus et impetrabimus, ut comitissa Catacensis matrimonii tibi federe coniungatur, et omni dubietatis sublato scrupulo, huius te pactionis reddemus certissimum, seu iurisiurandi religione [ma]lueris esse contentus, seu quolibet alio satisfactionis genere tibi prospiciendum esse putaveris. Quantum autem eadem comitissa nobilitate tibi premineat, quam potentium virorum nuptias recusaverit, non attinet dicere, cum nichil horum tibi putem incognitum".

Hec eo dicente, ceperat iam animus iuuenilis, ut facile movebatur amore laudis, accendi, ipsiusque Maionis detestari scelera, iamque eius affinitatem plurimum abhorrebat, quadam tamen adhuc velut hesitatione suspensus. Mox autem, dum paulisper secum deliberans, hinc desponsate sibi virginis genus obscurum, patris eius infamiam et quod ei periculum imminebat, inde pactas sibi comitisse nuptias animo metiretur, puduit eam super hoc hesitasse, cepitque in eodem proposito plenius roborari. Nec diutius moratus, Rogerio de Marturano aliisque qui aderant nobilibus viris respondit: ea se que persuadent confidenter ausurum, plenaque peracturum fiducia, si pactioni starent propositae. Sic ubi visum est utrique parti nichil eorum penitus que promiserant immutare, ipsaque etiam postmodum comitissa nec non et eius propinquis predispositum fedus matrimonii ratum habentibus, utrinque prestito sacramento, pactum preha[bitum] roboratur, mortique Ma]ionis termi[nus] certus prefigitur. Additque etiam Matheus Bonellus,] si temporis interim occurrat oportunitas, nequaquam id sibi esse animi ut prefixam diem expectet, nec per se staturum quin illud quam mature possit perficiat. Nec minus alibi quoque fortunam, tantis admirati fatigatam successibus, iam ab eius obsequio descivisse perciperes. Cum enim instaret iam dies quem idem interficiendo regi providerat, placuit ei cum archiepiscopo secretum habere colloquium. Cum de rege maturius amovendo, de sedandis populi motibus regnique statu mox futuro deliberantes invicem disceptarent, suborta est inde controversia de thesauris ipsiusque regis filiis, cuius deberent custodie deputari. Dicebat enim admiratus puerorum tutelam ac thesauros totumque palatium sibi debere committi, quoniam oporteret regni negotiis insudare, maximeque thesauros necessarios esse ad tumultus rebellantium comprimendos et arcendos exterorum incursus hostium, nec sine magnis sumptibus emersuras dissensiones et intestina bella posse compesci. Archiepiscopus autem aiebat id se numquam passurum, nam ex ea puerorum tutela plurimum posse suspicionis innasci maxime[que] roborari precedentem plebis opinionem: tunc omnes fore certissimos nichil illum aliud quam reg]num appetere, [tunc adversu]s eum modis omnibus asperandos. Suspectum enim tutorem pueris dari, nec iura permictere, et si datus sit, removendum censere. Sanius autem esse consilium ut archiepiscopis, episcopis aliisque venerabilibus et religiosis personis, de quibus nulla posset haberi suspicio, puerorum ac thesaurorum custodia crederetur. Nam et redditus totius regni sumptibus faciendis suppetere, et si necessitas exigeret, ab ipsis eum thesaurorum custodibus

quantum sufficeret accepturum. Sic igitur alternis disceptationibus ea controversia diutius protracta, cum archiepiscopus a predicta non posset avelli sententia, eademque Maioni penitus displiceret, quippe quem suis noverat machinationibus obviare, tandem iratus subintulit, non ita se de archiepiscopo meruisse ut suo debuerit adversari proposito. Sed nunc compensationem sibi mutuam reliberi, quod eum sola gratia socium et consilii participem ascivisset, cum eius non indigeret auxilio, et eo quidem ignaro, aut etiam reluctante, facile posset quod proposuerat adimplere. Verum hanc ad presens nichil obfuisse discordiam, nec enim esse iam dubium quid in tali socio spei sibi debeat reservare. Preterea iam [se penite]re propositi, animumque suum ab incepto penitus avertisse, nec unquam deinceps tale quidpiam admissurum. Tunc archiepiscopus, licet hec eum ex animo dixisse non crederet, "oportunum quidem", ait, "et satis approbandum consilium; nam et me quoque facti deterret atrocitas, nec absque salutis et fame nostre periculo posset hoc fieri". In hunc modum, contracte dudum societatis federe dissoluto, Maio discessit, totis iam se nisibus preparans ultioni. Ac primo quidem erga socium ita regis animum spe lucri, ut erat cupidissimus, irritavit, ut septingentas ab eo auri uncias extorqueret. At ille, quamquam eiusmodi iactura satis efficaciter ad doloris eum impatientiam permovisset, pudore tamen et indignitate rei vehementius exestuans, totum ad eius rei vindictam ingenium transportavit. Cumque prius tanto pacis ac dilectionis federe tenerentur astricti ut se fratres invicem appellarent, nunc hostes atrocissimi sed occulti in exitium suum plenis operabantur affectibus, non iam fortunas alter alterius petitori, sed vite dispendio peneque capitis imminentes. Admiratus enim pestifera veneni potione meditabatur illum extinguere, ad idque locum ac tempus prestolabatur ydoneum. At ille detestabile Maionis facinus tam per se, quam per familiares suos multis detegens, ad vindictam eos tanti sceleris hortabatur, et prehabitam de se suspicionem removens, adversus illum plebis animos irritabat, multos etiam milites ac nobiles viros plurimis sibi persuasionibus alliciens. Sub ea tempestate Nicholaus logothetus, qui tunc in Calabrie partibus iussu curie morabatur, Maioni scripsit epistolam, ubi quicquid a Matheo Bonello gestum fuerat pactaque inter eum et comitissam Catacensem habita, prout relatu didicerat amicorum, breviter enarravit. Ea res primo dubiam viri mentem longa deliberatione suspenderat, necdum fide dignum censebat eum suis refragari consiliis, quem summa promotum diligentia, tamquam filium educarat. At ubi multis id asserentibus plenior fidem adhibuit, iam de vindicta secum deliberans, ad id operam dabat, ne factum hoc impunitas sequeretur. Matheus autem Bonellus ita re gesta, reversus in Siciliam iam Thermas pervenerat, quod oppidum ab urbe Panormo .XX. milibus distat. Ibi quemdam militem suum obvium habens, quem in Calabriam profecturus Panormi reliquerat, mentem ac propositum Maionis eiusdem persensit indicio quodque iam sibi venturo carcerem prepararet, et quamquam admirati litteris cre[brius citaretur, nec] longam temporis angustia deliberationem admitteret, prudenti tamen consilio statuit non prius Thermas ascendere, quam missis nunciis animum illius prelibaverit. Litteris ergo Maioni directis narrat opera sua sedatos esse Calabrie tumultus; Calabros omnes de inimicis amicissimos ei factos et ad peragendum quicquid iniunxerit expeditos, nichilque iam aliud quam eius imperia prestolari; additque suam ipsius fidem hac in re maxime satis habundeque spectatam, qui tanto studio tantaque sollicitudine negotia gesserit admirati, licet semper eius nichilominus voluntati diligentissime

fuerit obsecutus sue per omnia iussioni deserviens, ea spe quidem ac fiducia, ut quem suis videret insudare negotiis, eum ampliori benivolentia crederet amplectendum, pactasque sili filie nuptias non differret; verum hoc in contrarium cessisse. Nam pro gratia potius ingratitude compensationis vice sibi redibitam, iamque se longa promissionis expectatione suspensum, diutius cruciari, suoque fraudari desiderio. Nunc id se rogare, id plenitudine votorum exposcere, ac per si quid de eo bene meruerat obtestari, ut qui timorem eius in gaudium commutasset, qui timendum ac triste belli principium ad letos exitus perduxisset, eum redeuntem promissi coniugii letitia muneraret.

Has igitur litteras admiratus inspiciens, familiaribus suis eas ostendit, illis precipue qui adversus Matheum Bonellum eius indignationem commoverant, dicens palam esse nunc eorum falsitatem que sibi dicta fuerant; iniquum esse tanti criminis eum argui, qui filie sue nuptias tanta prece tantisque votis expeteret, nec se deinceps crediturum, si quis de eo mali quidpiam sibi suggesserit. Dehinc illi sub omni celeritate rescribit, uti securus veniat et conceptam deponat sollicitudinem, suo, quam primum venerit, satisfacturum iri desiderio, eumque nuptias, quas tam affectuose postulaverat, adepturum. At ille visis eiusmodi litteris, tanquam ea nuptiarum promissione lenitus, leta fronte Panormum ingreditur, ibique ab admirato benigne et cum honore susceptus, gratias ei agit, rogatque ut promissionem suam celeri prosequatur effectu. Hinc archiepiscopum febribus laborantem secretius adit, eique quod gestum fuerat totum expediens, ab eodem plurimum admonetur ut omnibus modis acceleret et dilationis impedimentum omne submoveat, rem enim tantam non sine periculo iam differri. Interim ergo Matheus Bonellus perpetrando facinori tempus ydoneum sollicite perquirebat; sed et huic eius sollicitudini fortuna non defuit, que quasi penitentia ducta, quod virum ignobilem, tantis horrendum flagitiis, in summo fere rerum culmine collocasset, iam ei precipitium minabatur et volubilis circuli supereminentiam sensim detrudens, ad infima, circumductis anfractibus, rotam ceperat obliquare. Cum enim iam admiratus ipsi archiepiscopo per manum cuiusdam familiaris sui, quem donis ac promissis illexerat, venenum propinari fecisset, mirabatur eum tardius mori diuque languere, et curis ingentibus angebatur, timens ne forte posset pristinae sanitati restitui. Idque ex impotentia veneni previdens accidisse, preparat aliud multo vehementius ad nocendum et amplioris malitie. Quod secum deferens, die quadam, circa horam undecimam, archiepiscopum visitat, eique assidens, primo de statu eius interrogat; inde subiungit eum facile, si consilio amicorum crediderit, evasurum; rogatque ut facilem et expertissimam ad hoc genus egritudinis medicinam accipiat, quam ipse in presentia sua diligentissime fecerat preparari. Ad hec archiepiscopus tantum se iurat pati fastidium, tanta membrorum debilitate vexari, [ut neque] sine magno periculo corpus ita debile possit amplius inaniri, et ipse quamlibet medicinam solo visu abhorreat, sed et cum summa difficultate cibos accipiat. At Maio, ne videretur importune instare, eoque ipso suspectus fieret, preparatam iubet potionem in diem aliam reservari: dehinc illi familiaris assidet, et blande super hoc eum redarguens, hortatur ne consilium amicorum tam negligenter audiat, neque sue semper obtemperet voluntati, cum sciat eam esse legem egritudinis ut animus nociva frequentius appetens, ea que prosunt nichilominus aspernetur; vim sibi, si sanari desiderat, aliquotiens faciendam; seque

de illius ut propria salute iurat indifferenter esse sollicitum, nam siquidem eum mori contigerit, nescire se quid deinceps sit acturus, quo se vertat, quam expetat societatem, cuius fidei se committat. Nichil enim in alio quoque spei aut fiducie sibi repositum. At ille grates ei referens, impotentiam suam excusat, fidemque laudat amicitie. Ad singula prolixius respondendo, aliisque insuper de rebus verba multiplicans, mittit ilico qui Matheo Bonello dicat, ut siquidem vir est, nunc acceleret et ad peragendum quod promisit viriliter accingatur; milites suos occulte faciat armari; armatos competentibus disponat in locis; interim se Maionem variis sermonum ambagibus detenturum. Matheus ergo Bonellus, prout ei imperatum fuerat, in secretiore domus parte militibus convocatis, rem eis totam exponit, paucisque admonet ut audaci fortique sint animo; sine metu, sine periculo facillime posse rem fieri; sive enim nesciens hoc sibi periculum imminere securus exierit, non esse dubium quin omnis ei fugiendi aditus obstruatur; sive re cognita timens exire, aliud quicquid machinari voluerit, itidem eum in ipsis edibus nichilo segnus obtruncandum, nec ei deliberandi spatium indultum iri. Nec vero longis erant persuasionibus onerandi, quos ad id perpetrandum, et sacramentum astrinxerat, et Maionis dudum inflammaverat odium, et lucri spes vehementius accendebat. Inter hec occasui solis iam succedente crepusculo, totam urbem subitis incertisque rumoribus videres attonitam civesque hinc inde turmatim dispersos incedere, et quidnam esset timoris quod urbem repente sic attonuerat, ab invicem sciscitari; alios autem obstipito quidem capite, sed arrectis auribus per plateas urbis conventicula facientes, varias super hoc dissonasque proferre sententias. Plurimorum tamen circa id versabatur opinio ut Maionis instinctu, regem ad archiepiscopum ea nocte venturum in ipsaque via crederent occidendum. At Matheus Bonellus, ubi videt militum sibi promptam audaciam non deesse, Maionem ab archiepiscopo satis commode detineri, noctem interim sic